



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 72. Sedis Apostolicæ Nuntius ad Helvetios a Sixto V. decretus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. A.C. 1586. *tare teneatur, ac desuper juret, si veritate sorte jurare renuerit, aut intra annum non comparuerit, Cardinalatus dignitate, omnibusque suis juribus priuetur. Verum cum hæc Constitutio nimis severa videretur, Successores Pontifices illam non nisi quoad numerum, & natalium puritatem in usum deduxerunt.*

§. LXXII.

Sedis Apostolicæ Nuntius ad Helvetios a Sixto V. decretus.

Leti vie de Sixte V. tom. 2. lib. 7. Thu. 1. 84. Postquam Sixtus V. a pluribus Oratoribus, quos Pagi Catholici ad eum ablegabant, funestum Religionis Catholicæ statum inter Helvetios compererat, mox eo tanquam Sedis Apostolicæ Nuntium decernebat Joannem Baptistam Sanctorium Tricaricensem in Neapolis regno Episcopum, qui hoc anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo sexto ferventibus maximis caloribus æstivis Romam proficisceretur, atque ad Helvetios perveniens cuncta fus, deque versa reperiebat: quapropter Catholicorum Pagis significabat, quod nil ardentius optaret, nisi ut omnium Ordinum comitia haberent: insuper illos rogabat, ut maximo, quo possent numero, suos Delegatos eo mitterent: igitur die quinta Octobris hisce comitiis initium datur, ubi Nuntius, postquam omnibus

Sæcul. XVI.
A. C. 1586.

omnibus Deputatis sacram Synaxin ipfus administraverat, perpetuum fœdus inter Sedem Apostolicam, & Helvetios pangere nitebatur, tam prospero conatus sui successu, ut Helvetii summam, quam poterant, submissionem polliciti, in sacræ Sedis, fideique obsequium semetipsos, sua bona, filios, vitamque devoverent, ac coram Altari in genua provoluti, & in ipsa Evangelii verba jurantes sponderent, quod filialem hanc servitutum, cui sponte se manciparent, fide nunquam violanda profiteri vellent. Postea Nuntius Deputatos induxit, ut inter suos jurisdictionis ecclesiasticæ tribunal, quod liberum a laicis haud dependeret, erigerent, in quo Ecclesiasticorum causæ tam civiles, quam capitales dijudicarentur: insuper Nuntius locum assignari petiit, ubi privatus construeretur carcer, ut hac ratione eo luculentius ipsius pateret auctoritas: denique nihil eorum prætermisit, quæ ad ampliandam sacræ Sedis dignitatem conferre possent,

Præcipue Santorius omnem suam operam eo impendit, ut hosce populos in Religione Catholica firmaret, atque ad vincenda quævis obstacula, quibus Protestantes pii sui consilii executionem præpedire nitebantur, in variis locis Monasteria pro Fratribus Capucinis

nis

Sæcul XVI.
A.C. 1586.

nis construi curavit, præcipue vero quoddam ejusmodi cœnobium in Abbatiscellenfi Pago ædificabat, ac datis ad generalem hujus Ordinis Ministrum literis eundem rogabat, ut Religiosos fidei studio, probæque vitæ exemplo claros submittere velit.

§. LXXIII.

*Controversia inter Pagos Catholicos,
& Protestantos.*

Leti l. 7.

Sub idem tempus Nuntius in Pagorum Protestantium territorio quemdam Sacerdotem comprehendi, ac carceri includi jussit, inde autem inter Catholicos, atque hæreticos acrior oriebatur contentio: cum enim Nuntius absque concessa facultate, atque extra jurisdictionis suæ limites hunc Presbyterum capi jussisset, Protestantes suorum jurium tenaces captum sibi restitui petebant, facta autem repulsa vires rependere intenti quemdam Parochum ipsorum Pagis vicinum vi abstrahi jusserunt, eumque in vincula conjicientes illum nequaquam dimittere statuerunt, nisi vicissim Sacerdos Nuntii jussu comprehensus eorum manibus traderetur. Hæc contentio tanto furore exardescebat, nihilque propius esse videbatur, quam ut utrinque ad arma conclamaretur: Sixtus autem re com-
perta